



Per.  
Lat  
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse.  
Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Præses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223—808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940—41: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57,292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

## De Roma nostrorum temporum.

Cum acta diurna nuntiavissent Excellentissimum Dominum *Chrysostomum Kelemen* archiabbatem Montis Pannoniae ab Sua Sanctitate Pio XII Summo Pontifice ad colloquium clementissime admissum esse, moderator impense ab Sua Excellentia petivit oravitque, ut quae Romae vidisset et sensisset, lectoribus nostris describere dignaretur. Moderatori petenti Sua Excellentia benignissime satisfacit, pro qua benignitate Suae Reverentiae gratias agimus singulares.

Clarissime Domine  
Redactor!

Animo in Urbe Aeterna profundissime commoto saluto Te, Carissime Domine Moderator, atque ephemeridem Tuam illustrem una cum omnibus eius lectoribus.

Roma! Roma illa antiquissima pulchrior facta atque restituta explicatur nobis inter continuas domos recentiores, obsoletas, evanescentes. Etsi diruta ante



Crux in Colosseo.

oculos nostros ponit atque sentiri curat illa monumenta praeclarissima antiquitatis nobis iam iuvenibus animis insita. Cultus atque humanitas illa non est excisa, nam in structura tenui humanitatis nostrae atque litterarum adest, vivit atque auctoritatem habet.

Roma antiquissima Urbs est summi imperii et summae potestatis civilis. Roma mediae, quae vocatur, aetatis summam animarum potestatem habet. Signum alterius aquila unguibus cruentis est, alterius Spiritus Sanctus formam columbae mitissimae habens. Altera ferro et sanguine imperium terrestre condidit, altera cruce et devotione sui ipsius regnum Dei aedificat. Altera crudelis omnes nationes perdomat, omnia regna in dicionem suam redigit, altera gentes sedes mutantes, imperium Romanum dilabens inter se dividentes iuxta se in

pace vivere curat educatque regna Christiana constituendo.

Roma nostrae aetatis bifrons est, ut Ianus. Facies altera imperii novissimi est. Fere quadraginta anni sunt, cum discipulus gymnasialis classis superioris Romam vidi atque Italiam. In agricultura, deinde in rebus saltuariis, in faciebus ut ita dicam, externis oppidorum formam Europaeam induentium, in electrificatione, in evolutione technica, in re metallica, in fabricatione rerum variarum evolutio incredibilis ostenditur. Sed maxime inopinatis nobis accidit, quod pro vetere fere orientali populo hodie populus mundus, carissimus, amabilis, dignitatis suae conscius, rebus futuris ad maxima vocatus invenitur. Benito Mussolini gentis suae non solum maximus agitator et organisator, ut dicitur, atque vir rei publicae gerendae peritissimus est, sed etiam illius maximus paedagogus. Meritum sine dubio maximum reformatoris, ut aiunt, illius maximi est, quod populum suum et animis et moribus magis magisque altius evolvi curat.

Facies altera Urbis aeternae est. «Si Mommsen Romae a nemine quandam mentem aeternam recusari posse recte dicat, illa mens aeterna de Vaticano radiat» — dixit Mussolini. Hanc aeternam mentem sensi modo semper memorabili, cum die 24. Nov. Suam Sanctitatem etsi corpore fragili, at animo generosissimo loquentem audivi atque orantem vidi sub tholo magni icentissimo clarissimi artificis Michelangelo. Velutsi angelus Dei petivisset ante thronum misericordiae a Deo miserationem generi humano infelici! Nobis locutus est: Homines quaerite Deum, in Deo veritatem,

amorem: *Patrem*, et invenietis in vobis concordiam, reconciliationem: *fratrem*.

Permulti Christifideles auscultabant cohortationem in ecclesia S. Petri magnificentissima et certe permulti boni homines etiam apud machinas suas radiophonicas toto orbe pacem desiderantes. «Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia» (Ep. ad Smyrnenses 8, 2.), veniunt nunc mihi in mentem verborum S. Ignatii plus quam annorum 1800. In tholo supero aureo certissima stabilitate fulgebant litterae immanis magnitudinis verba Divini Salvatoris describentes: «Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam» (Matth. 15, 18.).

Sensa sinceræ reverentiae promens permaneo Tibi, carissime Domine Redactor,

Romae, die 24. Novembris 1940.

addictissimus

*Chrysostomus Kelemen* archiabbas.

## LECTORIBUS MINIMIS

### Jocosa.

*Magister* discipulum appellat et examinat: Dic mihi, mi fili Póta: si ante te est septemprio<sup>1</sup> et sinistrâ occidens, dextrâ autem oriens, quid est pone<sup>2</sup> te? — *Póta*: Classis est pone me.

*Aemilius Pócs* disc. Mezőkövesdiensis.

<sup>1</sup> észak = Nord = nord    <sup>2</sup> mögött = hinter = derrière



Regio Ecclesiae S. Petri in urbe Roma.

1. Duo adolescentes colloquuntur. A: «Quid cogitas, cur sunt feriae<sup>3</sup> scholarum nataliciae<sup>3</sup> breviores, quam feriae aestivae?» — Quia frigus, sicut in physica didicimus, omnia contrahit.»

2. Discipuli pensum scribunt: «Via nostra domo usque ad scholam.» Ante Paulum pagina commentarii<sup>4</sup> vacua est. Professor interrogat eum: «Cur non scribis aliquid?» — «Non possum» — respondet quiete puer. — «Et quidem cur non?» — «Quia hic in schola habito, nam ego filius sum apparitoris<sup>5</sup> scholae.»

3. Iosephus parvus aegrotus est. Medicus inspicit eum et dicit: «Nunc suspira<sup>6</sup> et dic ter: viginti.» Puer ingemiscit<sup>7</sup> et exclamat: «Sexaginta...»  
*Clara Király disc. Makonensis.*

<sup>3</sup> karácsonyi szünet = Weihnachtsferien = vacances de Noël <sup>4</sup> füzet = Heft = cahier <sup>5</sup> szolga = Diener = bedeau <sup>6</sup> mély lélegzetet vesz = tief Atem holen = respirer fortement <sup>7</sup> felsóhajt = aufseufzen = gémir

1. In praelectione<sup>8</sup> de rerum<sup>8</sup> natura<sup>8</sup> professor interrogat discipulum: Quis liquor<sup>9</sup> est frequentissimus? — *Discipulus*: ??? — *Professor*: Quid fit glacies, si liquescit<sup>10</sup>? — *Discipulus* lacrimans: Nescio, sed usque adhuc in capite meo erat.

2. Iuvenis vaniloquus<sup>11</sup> in societate semper de avis suis gloriatur, cum aliquis arridens inquit: «Similis es solano<sup>12</sup> tuberoso.»<sup>12</sup> — «Quomodo?» — interrogat ille. «Nam bona pars illius quoque sub terra est.»  
*Stephanus e nob. Csinády*  
*disc. Piani, Quinqueecclesiensis.*

<sup>8</sup> fizikaóra = Physikstunde = la leçon de physique  
<sup>9</sup> cseppfolyós test = flüssiger Körper = liquide <sup>10</sup> elolvad = schmelzen = fondre <sup>11</sup> hencegő = prahlerisch = crâneur  
<sup>12</sup> burgonya = Kartoffel = pomme de terre

1. *Animus*<sup>13</sup> *intrepidus*<sup>13</sup> *Britannicus*. Anglus in undas concidit et exclamat: «Auxilium, ferte auxilium, ego nescio nare!» Alius quidam, in litore stans dicit: Ego quoque nescio nare, et tamen non clamo tam rabiose.<sup>14</sup>

2. *Superlatio*<sup>15</sup> *veritatis*.<sup>15</sup> A: Amice, nõveram pridem pumilionem<sup>16</sup> qui tam parvus erat, ut cum clavus<sup>17</sup> pedis<sup>17</sup> ei doleret, caput sibi dolere crederet.

3. *In ergastulo*.<sup>18</sup> Domina benefica: «Cras, feram tibi libum,<sup>19</sup> homo miser. Quomodo amas? Sintne uvae<sup>20</sup> passae<sup>20</sup> in libo?» Ad opus<sup>21</sup> damnatus: «Non uvas passas, sed scobinam<sup>22</sup> velim accipere in libo.»  
*Hugo Rác disc. Makónensis.*

<sup>13</sup> hidegvér = Kaltblütigkeit<sup>13</sup> = flège<sup>14</sup> veszettül = wütend = avec fureur <sup>15</sup> túlzás = Übertreibung = exagération <sup>16</sup> törpe = Zwerg = nain <sup>17</sup> tyúkszem = Hühnerauge = cor <sup>18</sup> fegyház = Zuchthaus = maison de force <sup>19</sup> kalács = Kuchen = gâteau <sup>20</sup> mazsola = Rosinen = raisin sec <sup>21</sup> fegyenc Stráfling = bagnard <sup>22</sup> ráspoly = Raspel = lime

1. Cingarus<sup>1</sup> cum filiolo suo cauponam<sup>2</sup> intrat et tantum unam lagoenam<sup>3</sup> vini mensae apponi<sup>4</sup> iubet.<sup>4</sup> «Pater mi, interrogat filiulus, tu non bibis?»

2. Cingarus obdormiscit. In somnis<sup>5</sup> videt<sup>5</sup> se in caupona sedere. Tum cellarius<sup>6</sup> urbane interrogat, utrum calidam, vel frigidam coffeam<sup>7</sup> ei apponat.

— Calidam, respondet in somnis cingarus.

— Tunc exspectandum paulisper tibi erit, respondet cellarius, frigida enim coffea praesto<sup>8</sup> est, sed, ut iubes, prius calefacienda<sup>9</sup> est.

— Bene, calefacias, habeo tempus hic comorandi...<sup>10</sup>

Sed interdum expergefactus<sup>11</sup> sibi maledixit, quod frigidam coffeam non accepisset.

3. «Unde tibi tumor<sup>12</sup> in bucca<sup>13</sup> laeva?» interrogat cingarum vicinum eius. — Obvius<sup>14</sup> factus<sup>14</sup> sum illi, cui heri equum meum vendidi.

4. *Poeta*. A: Cuius<sup>15</sup> munere<sup>15</sup> fungitur<sup>15</sup> maritus tuus? — B: Poetae. — A: Bone Deus! Meus quoque fugit laborem.

5. *Tessera*.<sup>16</sup> Duo Cingari sedent in curru<sup>17</sup> ferroviario<sup>17</sup> II. classis. Alter conspicit aëroplanum volantem, quem a socio quoque conspectum esse putans<sup>18</sup> dicit: — «Ecce, brevi etiam nos volabimus...» — Alter conterritus<sup>19</sup> rogat: — «Quid? Etiam tu tesseram tertiae classis habes?»

*Fel. Gondán dr. O. Cist. Bajanus.*

<sup>1</sup> cigány = Zigeuner = tzigane <sup>2</sup> kocsmá = Gasthaus = taverne <sup>3</sup> palack = Flasche = bouteille <sup>4</sup> rendel = bestellen = faire venir <sup>5</sup> álmodik = träumen = rêver <sup>6</sup> pincér = Kellner = garçon <sup>7</sup> kávé = Kaffee = café <sup>8</sup> kézen = bei der Hand = à portée <sup>9</sup> felmelegít = aufwärmen = réchauffer <sup>10</sup> maradni = zu bleiben = rester <sup>11</sup> felébred = erwachen = s'éveiller <sup>12</sup> daganat = Geschwulst = tumeur <sup>13</sup> pofa = Backe = joue <sup>14</sup> találkozik = begegnen = rencontrer <sup>15</sup> mi a foglalkozása = was ist die Beschäftigung = quelle est la profession <sup>16</sup> menetjegy = Fahrkarte = billet <sup>17</sup> vasuti kocs = Eisenbahnwagen = wagon <sup>18</sup> abban a hiszemben, hogy = in der Meinung, daß = croyant que <sup>19</sup> ijedten = erschrocken = effrayé

1. Auctor iuvenis usque<sup>1</sup> instabat histrioni<sup>2</sup> claro, dum ille promisit: «Drama tuum perlegam.» Post nonnullos dies auctorem ad se vocavit et postquam pauca de opere laudans dixit: «Sed melius erit — inquit — si persona<sup>3</sup> prima<sup>3</sup> in extrema fabula<sup>4</sup> non pugione,<sup>5</sup> sed revolverio rivalem interficiet!» — «Cur?» interrogavit auctor mirans. «Ut auditores somno excitet!»

2. Fabella<sup>6</sup> de actore<sup>2</sup> quondam claro narratur, qui hodie emeritus<sup>7</sup> senex vivit. Quod gratis ei datum est. libentissime accepit et avaritiã omnibus notus erat. Nihilominus<sup>8</sup> multi diligebant et colebant eum.

Forte in urbe ambulans constitit ante tabernam cultrarii,<sup>9</sup> ubi magnificentissimi cultri<sup>10</sup> plicatiles<sup>10</sup> expositi erant. Mercator conspexit clarum hospitem, ergo ianuam aperuit et invitavit eum: «Venire<sup>11</sup> salvum<sup>11</sup> volup<sup>11</sup> est mihi,<sup>11</sup> domine artifex, age<sup>12</sup> sis<sup>12</sup> intrare!» — Actor vero intravit et mox dixit: «Magnifici sunt hi cultri, certe magno<sup>13</sup> pretio<sup>13</sup> stant!»<sup>13</sup> «Mercator iam saepe delectatus erat ab histrione, ergo gratissimam eius memoriam retinebat et bene novit naturam, quam obrem libenter obtulit<sup>14</sup> ei: «Vere gaudeo, si unum eligis et donum a me accipis.» — Actor primum se excusabat, sed postquam mercator affirmavit se cultrum ei libenter dono dare, tandem in funda<sup>15</sup> vestis addidit cultrum dicens: «Magnas<sup>16</sup> gratias<sup>16</sup> ago!»<sup>16</sup> — «Vere libenter do — dixit comiter<sup>17</sup> mer-

<sup>1</sup> folytonosan = fortwährend = continuellement <sup>2</sup> színész = Schauspieler = acteur <sup>3</sup> hős = Held = héros <sup>4</sup> színdarab = Schauspiel = pièce de théâtre <sup>5</sup> tör = Dolch = poignard <sup>6</sup> vulgo: anecdota <sup>7</sup> nyugdíjas = im Ruhestand = pensionné <sup>8</sup> tamen <sup>9</sup> késes = Messerschmied = coutelier <sup>10</sup> zsebkés = Taschenmesser = couteau <sup>11</sup> örülök, hogy jó színben láthatom = es freut mich Sie wohl zu sehen = ce m'est une joie de vous voir sain et sauf <sup>12</sup> tessék = wollen Sie = s'il vous plaît <sup>13</sup> drágák = sind teuer = sont chers <sup>14</sup> felajánl = anbieten = offrir <sup>15</sup> zseb = Tasche = poche <sup>16</sup> köszönöm szépen = schönen Dank = merci bien <sup>17</sup> udvariasan = höflich = poli

cator — sed aliquid adhuc componendum<sup>18</sup> est! — Culter donatus omen malum esse dicitur, nam iram affert, pro forma ergo solvas<sup>19</sup> decem nummulos.<sup>20</sup> Hoc vulgo sic fieri solet.» — «Decem nummulos? Libenter! «Tunc histrio marsupium aperuit et dixit: «Sed solum monetam<sup>20</sup> viginti<sup>20</sup> nummolorum<sup>20</sup> habeo.» — «Dolendum est, non possum ex ea reddere.» — dixit mercator. «Pro nihilo<sup>21</sup> puto,<sup>21</sup> da mihi insuper alium cultrum et tum pares<sup>22</sup> rationes<sup>22</sup> inter nos<sup>22</sup> habemus.»<sup>22</sup>

*Iosephus Tóth dr. Csurgonensis.*

<sup>18</sup> elrendez = ordnen = fixer <sup>19</sup> fizet = zahlen = payer <sup>20</sup> húszfilléres = Zwanzigpfennigstück = une pièce de 20 centimes <sup>21</sup> annyi baj legyen! = sich nichts daraus machen = ne faire aucun cas de <sup>22</sup> leszámoltunk egymással = quitt sein = nous voilà quittes

**Fama.** Fabulae de animalibus nunc valde desideratae sunt. Et huic mori attribueri<sup>1</sup> potuit Scribulus<sup>2</sup> amicus noster, quod tandem aliquando honore auctus est. Fabula<sup>3</sup> romanensis<sup>3</sup> eius recentior de simiis<sup>4</sup> praemium litterarium<sup>5</sup> tulit et ab omnibus legebatur. Itaque benigne introduxit eum patronus ad uxorem cuiusdam consiliarii<sup>6</sup> commercialis<sup>6</sup>: «Ecce, hic fero tibi artificem<sup>7</sup> Scribulum, de quo nuper multum loquebamur.» Femina studio<sup>8</sup> ardens<sup>8</sup> et gaudio elata: «Valde gaudeo, — inquit, — quod te cognoscere possum, scito enim me cupidissimam esse simiarum.»

*Anna Scheidl disc. Kaposváriensis.*

<sup>1</sup> tulajdonít = verdanken = rapporter <sup>2</sup> firkász = Tinterl = écrivainleur <sup>3</sup> regény = Roman = roman <sup>4</sup> majom = Affe = singe <sup>5</sup> irodalmi = Literatur = de littérature <sup>6</sup> kereskedelmi tanácsos = Kommerzialrat = conseiller de commerce <sup>7</sup> mester = Meister = maître <sup>8</sup> lelkesedve = begeistert = enflammé

**Rosa et later.**<sup>1</sup> Diurnarius<sup>2</sup> clarus Hilarius Belloc peregrinans in Hibernia<sup>3</sup> imbri apprehensus est. Procul parvam lucem conspexit. Illuc cucurrit et mox in casam agricolae cuiusdam Hibernici perfugium invenit. Se siccans apud caminum in crepidine<sup>4</sup> camini tabulam pulchre politam conspexit, in qua infra campanam<sup>5</sup> vitream<sup>5</sup> rosa et later iacebant. Belloc curiose interrogavit agricolam, quid hoc putandum<sup>6</sup> esset.<sup>6</sup> «Vides-ne hanc cicatricem?<sup>7</sup> — dixit agricola et frontem capillis rufis cinctam ostendit. — Vides-ne? Hanc later

fecit.» — «Et rosa?» — «Illa in sepulchro illius crevit, qui hunc laterem mihi impegerat.»<sup>8</sup>

*Elisabetha Obrinczák disc. Kaposváriensis.*

<sup>1</sup> téгла = Ziegel = brique <sup>2</sup> újságíró = Journalist = journaliste <sup>3</sup> Írország = Irland = Irlande <sup>4</sup> párkány = Gesims = chambranle <sup>5</sup> üvegharang = Glasglocke = verrière <sup>6</sup> jelent = bedeuten soll = doit signifier <sup>7</sup> seborradás = Narbe = cicatrice <sup>8</sup> iniecerat

## Ernestus Anschütz: Abies.

Convertit *Otto Schmied* Vindobonensis.

*O abies, o abies, O abies, o abies,  
Quam es fideli fronde. Quantopere me iuvas!  
Aestivo vires tempore Quam saepe tu placebas mi  
Ac tum, cum ningit hieme. Natali die Domini!  
O abies, o abies, O abies, o abies,  
Quam es fideli fronde. Quantopere me iuvas!*


*O abies, o abies,  
Me vestis vult docere,  
Ut spes det ac constantia  
Et vires et solacia.  
O abies, o abies,  
Id vestis vult docere.*

**Quomodo nos ephemeridem «Iuventus» legamus?** Discipuli diligentissimi classis nostrae IV. B. tempore definito<sup>1</sup> (12—1 vel 1—<sup>3</sup>/<sub>4</sub>) duce professore linguae latinae conveniunt. Bini discipuli ante classem consistunt, alter legit altā voce textum Latinum, socius eius statim in sermonem Hungaricum vertit. Sane intelleguntur utriusque<sup>2</sup> iam domi se praeparavisse ad vertendum. Finitā lectione dominus professor interrogat eos de lectione, ut examinet, num classis animum<sup>3</sup> attenderit<sup>3</sup> tempore translationis.<sup>4</sup> Interpretatores<sup>4</sup> laudem habent et fine anni scholastici bona nota iis

<sup>1</sup> megszabott = bestimmt = défini <sup>2</sup> ambo <sup>3</sup> figyel = aufpassen = faire attention <sup>4</sup> fordítás, -ó = Übersetzung, -er = traduction, -eur

## Geysa Gárdonyi: Salutatio Jesu.

Convertit *Vincentius Bors* Szegedinensis.



1. Lae-ti-fi-ce nunc est ge-ni-tus, Quem si-ti-en-tes ex-pe-ti-mus.  
Il-le di-vi-nus est pu-si-o, Vir-gi-nis san-ctae in gre-mi-o.



1. Tu, pro-be pa-stor, i pro-pi-us! En ti-bi De-us et Do-mi-nus!

2. Non luxu vivit in regio Vile cubile stramen eius, Utere, pastor, nunc genibus,  
Neque quiescit molli toro, Afflat calorem illi pecus. Hic enim est mundi Dominus.



Societas «Juventus» classis IV B) gymn. Piani Quinqueecclesiensis.

imputatur.<sup>5</sup> Praelectio nostra canticis Latinis incipitur et saepe etiam finitur, quae ex fasciculis veteribus ephemeridis «Juventus» didicimus.

*Iulius Hartmann* †

disc. cl. IV. B. Collegii Piani Quinqueecclesiensis.

<sup>5</sup> beszámít = anrechnen = bonifier

## LECTORIBUS MEDIIS

### De Sancto Nicolao.

Maria et Rosa amicae bonae erant. Ante diem festum Sancti Nicolai, Maria Rosam interrogavit: «Expectasne iam Sanctum Nicolaum?» Rosa astupebat<sup>1</sup> Mariam: «Non, nunquam eum vidi. Procul habitamus in domo pauperula,<sup>2</sup> illuc non venit.» Maria narrare coeperat, quanta bona Sanctus Nicolaus ferret. Sed dolebat quoque, quod Rosa discipula optima nunquam antea Sanctum Nicolaum videret.

Vesper erat. Ventus frigidus flabat. In fornace<sup>3</sup> ignis non accensus erat. Pater Rosae post laborem nondum domum rediit. Mater ad vicinos festinaverat, ut aliquantulum<sup>4</sup> adipis<sup>4</sup> peteret. Subito aliquis fenestram floribus<sup>5</sup> glacialibus<sup>5</sup> obtectam pulsavit. Rosa silentio auscultabat. Lux pallida<sup>6</sup> translucebat vitrum et in luce episcopus albus barbatus cum pedo<sup>7</sup> aureo stabat. Cum Rosa se collegit, in fenestra erat calceus novus, in calceo crumena,<sup>8</sup> in crumena pecunia . . . Iuxta calceum nux<sup>9</sup> avellana,<sup>9</sup> ficus, saccharum. Rosa oculis credere noluit. In culinam ruit matrem quaerens. In viam quoque excurrit. Denique matrem invenit, cui nuntiavit: «Sanctus Nicolaus labori<sup>10</sup> non<sup>10</sup> pepercit<sup>10</sup> viā stratā angustā in tenebris veniens et multa bona ferens. Mater feliciter manū colisit.<sup>11</sup> Statim in tabernam cucurrit, ut cenam bonam venderet. In foco iam ignis crepabat. Rosa autem maxime gaudebat, quod Sanctum Nicolaum, nunquam adhuc adeuntem per fenestram videre potuit.

Rosa postero die in schola Mariae laeta narravit, quid evenisset.<sup>12</sup> Maria surridens audivit amicam, deinde: «Ego — inquit — Sanctum Nicolaum ad te misi, dixi ei te bonam discipulam esse, bene discere, et oravi, ut adiret te.» «Locuta es cum episcopo<sup>13</sup> sancto?» rogavit Rosa stupens. «Locuta sum — respondit illa — omnes audiverunt . . . Dixi ei me minus merere donum, quam te, neque me gaudere, nisi tu quoque acciperes.» Rosa in cogitatione<sup>14</sup> defixa<sup>14</sup> erat. Mox tranquilla dixit: «Ego equidem tales amicos non habeo, neminem ad te mittere possum, Maria.» Sed Maria respondere non potuit, quia magistra intravit, a qua ad tabulam vocata est, ut exemplum arithmeticum solveret. Peroportune<sup>15</sup> accidit, ut hoc exemplum Rosa priore die Mariae explicuerit. Sic omnia bene finita sunt. Cum magistra Mariam laudavit, Maria Rosam aspexit et in scamno<sup>16</sup> considens dixit: «Nihil iam debes. Iam omnia persolvisti mihi.»

*Maria Dischka, Eva Bányai, Melinda Blandi*  
disc. Angelani Bp.

<sup>1</sup> rábámul = anstaunen = regarder d'un air stupéfait  
<sup>2</sup> szegényes = ärmlich = pauvre <sup>3</sup> kályha = Ofen = four  
<sup>4</sup> egy kis zsír = ein wenig Schmalz = un peu de graisse  
<sup>5</sup> jégvirág = Eisblume = fleurs de givre <sup>6</sup> halvány = blaß = pâle <sup>7</sup> pásztorbot = Schäferstab = houlette <sup>8</sup> pénz-tárca = Geldbörse = bourse <sup>9</sup> mogyoró = Haselnuß = noisette <sup>10</sup> nem restelt = sich keine Mühe verdrießen lassen = sans craindre la fatigue <sup>11</sup> összecsap = zusammenschlagen = battre des mains <sup>12</sup> történt = geschehen = se faire <sup>13</sup> püspök = Bischof = évêque <sup>14</sup> elgondolkozik = in Gedanken vertieft = se plonger dans ses réflexions <sup>15</sup> szerencsére = glücklicherweise = heureusement <sup>16</sup> pad = Bank = banc

### De Ferdinando Hodler.

Ferdinandus Hodler, pictor Helveticus arte insignis, Bernae, in capite Patriae nostrae pridie Idus Martias anno MDCCCLIII natus est. In studiis versatus est Genevae, ubi scholam artium<sup>1</sup> effectivarum<sup>1</sup> frequentavit, magistro Barthélemy Menn egregio usus. Studiis perfectis, postquam Basileam (1875) et Madritum (1878—79) et Parisios (1891) et in Italiam (1905) iter fecit, Genevae reliquam partem vitae suae assidue transiit. Apud Ferdinandum Hodler plurimum valuerunt<sup>2</sup> in arte praeclari magistri antiqui, sic Holbein, Rembrandt,

<sup>1</sup> képzőművészetek = bildende Künste = beaux-arts  
<sup>2</sup> jelentőségű volt = Bedeutung haben = avoir de l'influence



Recessus ad Marignanum (pinxit F. Hodler).

Velasquez, in grandi genere Italici quoque pictores XVI saeculi et Puvis de Chavannes pictor Gallicus.

Principio scholae clarissimi magistri Gallici Ioannis Augusti Dominici Ingres exemplum secutus est. Cum ex Hispania rediisset anno MDCCCLXXIX, in tabulis pulcherrimis «Regio Alpium» et «Nivium<sup>3</sup> moles<sup>3</sup> de monte<sup>3</sup> se devolvens»<sup>3</sup> effectus propriae et naturalis lucis dispersae et solis intemperatorum radiorum effinxit. Severis clarisque figuris atque coloribus imagines, mentis cogitationes, ea quae a maioribus egregie gesta sunt, per ambages atque allegorice pinxit. Fabulae celebres sunt: «Deceptio», «Electus», «Eurythmia», «Guilelmus Tell», «Dies», «Lignarius», quae Bernae hodie servantur, «Ver» in Borussia<sup>4</sup> urbe Essen<sup>5</sup>, «Veritas» et «Hora sancta» Turici,<sup>6</sup> «Amor» Soloduri<sup>7</sup> in pinacotheca.<sup>8</sup>


Grandia opera<sup>9</sup> tectoria<sup>9</sup> sunt: «Helvetiorum recessus ad Marignanum», «Voluntatum consensus; fides et ius iurandum ex reformationis temporibus», «Oculi ad infinitum». Arte<sup>10</sup> regionum<sup>10</sup> pingendarum<sup>10</sup> clarus Alpes et pulchros lacus Helvetiae magnifice pinxit. De vita decessit Genevae a. d. XIII Kal. Iunias anno MCMXVIII.

Maria Zeier disc. Lucanensis.

<sup>3</sup> lavina = Lawine = avalanche <sup>4</sup> porosz = preußisch = prussien <sup>5</sup> Essen <sup>6</sup> Zürich <sup>7</sup> Solothurn <sup>8</sup> képtár = Bildersammlung = galerie de tableaux <sup>9</sup> falifestmény = Fresko = fresque <sup>10</sup> tájképfestészet = Landschaftsmalerei = paysage

## Nuntii recentissimi.

**Tabulae mortuorum:** Hoc mense<sup>ex</sup> ex iis civibus, qui extra pugnam mortem obierunt, notissimi sunt: 1. *Abdul Medsid II*, ultimus Turcarum imperator,<sup>1</sup> qui a. 1922 a populo suo expulsus in Francogalliam migraverat. 2. *Jannes Kubelik* fiden<sup>2</sup> Bohemicus singularis,<sup>3</sup> qui in operibus Paganinianis interpretandis omnes aemulos superavit, saepe in patria nostra applausu et acclamatione ab auditoribus cumulatus uxorem Hungaricam in matrimonium duxerat. 3. *Lord Rothermere* vir nobilis Anglicus, qui primus omnium, etiam prius,



Nautae cuniculum marinum demoliendi causa extrahunt.

quam Mussolini, palam et publice declaravit revisionem pacis Trianonicae iniustae inevitabilem esse. De qua re etiam ad praesidem Cechoslovaciae epistolas scripserat, sed frustra. Si Britanni consilio Rothermerii oboedientes condiciones pacis et Trianonicae et Versaliensis retractavissent, hoc novum bellum immensum nunc sine dubio non gereretur.

**Nuntii bellici.** Germani nocturnos impetus faciendo adeo sollicitant Londinium, ut maxima pars incolarum in suffugiis<sup>4</sup> subterraneis pernoctare cogatur. Ruinae in urbibus Britannicis in dies augentur. Hiberni<sup>5</sup> non concesserunt Anglis portus aliaque firmamenta<sup>6</sup> belli, ne ipsi quoque in pericula inferrentur. — Graeci ab Anglis adiuti impetum Italarum sustinuerunt et nunc fere in Albania pugnatur, nam Itali maiores copias colligunt, ut summā vi Graecos aggredierentur. — Quia Lotharingia Germaniae adiuncta est, 100.000 Francogallorum a Germanis iussi sunt in Francogalliam migrare.

**Rumeniam** post terrae motum perturbatio ingens percellit.<sup>7</sup> Ferrea quae dicitur cohors magna multitudinem civium, qui aliarum factionum<sup>8</sup> assectatores<sup>8</sup> erant, praecipue autem plurimos sectatores Caroli regis expulsi, quondam ministros aliosque viros claros, in quibus etiam clarissimum *Jorga* professorem, crudeliter trucidaverunt. Adhuc fere 300 primores Rumeniae in Hungariam transfugerunt, ne ipsi quoque trucidarentur. Si Rumeni suos ipsorum cives tam atrociter tractant, iniurias, quae infelicibus fratribus nostris in Rumenia relictis perpetiendae sunt, quisque suspicabitur. Qui in Rumenia domo abiens in publica hungarice loqui audet, vapulat.<sup>9</sup> Per telephonium loquentibus licet omnibus linguis uti, solā Hungaricā non. Saepe nocte legionarii qui dicuntur in domos Hungarorum irruunt, quos inhumane verberibus caedunt. Ubi milites Germanici adsunt, etiam legionarii se continent, sed copiis Germanicis absentibus ferociam Rumenorum nihil sedat. O tempora, o mores!

**Anniversarii.** *Hirohito* imperator Japoniae annum 2600 familiae suae celebravit. — Proavus primi ministri Japoniae *Konoye* 1000 annis ante coeperat commentarios<sup>10</sup> diurnos<sup>10</sup> familiae suae scribere. Qui libri hodie iam 15 magna armaria complent. — *Lusitania* duplices anniversarios celebravit: a. enim 1140 regnum conditum, a. autem 1640 rege Philippo II Hispano expulso Lusitania libera facta est. — Aedes cathedralis de S. Stephano nominata in urbe *Vindobona* a. 1340 aedificata est. — *Alfonsus Daudet* scriptor perclarus Francogallus a. 1840 est natus. — *Aemilius Behring*, medicus illustris Germanicus, a. 1890 invenerat serum diphtheriae et tetani, quare a. 1901 praemio Nobiliano ornatus est.

<sup>1</sup> vulgo: sultan <sup>2</sup> hegedüs = Geiger = violoniste <sup>3</sup> páratlan = einzig in seiner Art = sans pareil <sup>4</sup> óvhely = Schutzraum = refuge, abri <sup>5</sup> írek = Iren = Irlandais <sup>6</sup> támaszpont = Stützpunkt = point d'appui <sup>7</sup> megrendít = erschüttern = ébranler <sup>8</sup> párt-híve = Parteigänger = partisan <sup>9</sup> azt elpüfölik = wird durchgeprügelt = être battu <sup>10</sup> napló = Tagebuch = livre journal <sup>11</sup> vulgo: Portugallia



## Certamen corrigendi.

Ad novum certamen corrigendi discipulos invitamus. Qui hanc epistolam mendosam ab lectore quodam ad moderatorem missam optime correxerit, praemio ornabitur (terminus: Calendae Februariarum):

*Amanissime Domine Moderator Iuventutis!*

Iam iterum audeo cum epistola mea Te interpellare, sed amor Iuventutis debet me. Nunc gratia Tui cogit ad gratiam agere. Valde gavisus sum, quando accepi epistolam Tuam, et libenter mitto a Te acceptos iocos latine retrorsum. Magno cum gaudio et multo cum animo laboravi iocos. Epistola enim Tua vim dedit mihi et ignem, ut opus parvum meum bonum esset et Tibi gaudium parvum volo cum eo parare. Accipe ergo cum amore, quia ego etiam maximo amore trado Tibi. Et valde gaudere, si Tu vitia mea corrigares. Tali animo dico Tibi salutem, et exspecto monitiones Tuas. Ob munus humaniter gratias agit Tibi discipulus magnus Tuus E. H.

## Alex. Petöfi: Tu es, tu es mei animi...

Latine reddidit Vincentius Bors Szegedinensis.

*Tu es, tu es mei animi  
Lumen, o puella!  
Tu mi vitae utriusque  
Spes unica bella!  
Si est somnus evanesce  
Haec mea spes una,  
Non ero beatus in hac,  
Nec vita futura!*

*Ubi salix maeret, saepe in  
Ripa lacus asto.  
Hic locus, haec vicinia  
Mi convenit maesto.  
Specto ramos inclinat  
Salicis maerentis,  
Qui velut si alae, meae  
Sint demissae mentis.*


*Aves migrant regione  
Flaccidam autumnum,  
Utinam et ego migrem  
Luctus mei regno!  
At non possum: maeror est mi,  
Quantus amor, tantus  
Atque amor... amor meus...  
O, hic est immensus.*

## De Archiepiscopo Gustavo e comitibus Majláth nuper mortuo.

Ex commentariolo Ladislai Ravasz dr. episcopi. Latine reddidit: Ioannes Jeney dr. Sch. P. Vacienensis.

Morbus me lecto afflixit et pompae funebri Gustavi Majláth interesse non potui. Cura, calamitas et labor me impediverunt, quominus de eo, quamquam eius recordabar, usque ad hunc diem scriberem.

... Ipse differentiam socialem ignoravit. Omnes: dominas nobiles et famulos<sup>1</sup> sutorum<sup>1</sup> similiter tractare scivit, attamen hominibus miseris fuit carissimus. Tempore belli gentium aliquod



Putei petrolearii in Rumania a Germanis custoditi (pag. 30).

oleum anisi,<sup>2</sup> quo<sup>3</sup> maxime<sup>3</sup> «sua ars cosmetica» continebatur,<sup>3</sup> vultu renidens ostentabat, quod autem remedium<sup>4</sup> praeservativum<sup>4</sup> contra bestialas<sup>5</sup> molestissimas erat, quas ipse tuguria casasque et extremos vicos visitans, cum morientes curaret et operam aegrotis navaret, invenit. Hic vir summo loco natus ita prodire potuit, sicut quidam princeps, tamen post bellum mundanum caligatus, detrito<sup>6</sup> vestimento sacerdotali et paenula<sup>7</sup> obsoleta<sup>8</sup> indutus, non impeditus vento, nive, frigidibus, aestu, plastro armis<sup>10</sup> equestribus<sup>10</sup> cannabinis<sup>9</sup> instructo per calles montanos Csikienses vectabatur. Fieri potest, ut episcopus in publico novissimis temporibus interdum non honorifice exceptus sit, sed tectum, quod intraverat, homines, quibuscum Deo supplicavit,<sup>11</sup> liberi, quos confirmaverat, ex aere libero atque bene olenti Sermonis Montani Evangeliorumque spiritum<sup>12</sup> gravem ducere<sup>12</sup> potuerunt.

Semper meditabatur, quomodo quemvis gaudium afficeret. Tradidit etiam postremum nummulum, negavit somnum iam pridem desideratum.

<sup>1</sup> csizmediainas = Schusterlehrling = apprenti cor-donnier <sup>2</sup> ániz = Anis = anis <sup>3</sup> főtenyezője = Hauptbestandteil = ingrédient principal <sup>4</sup> óvszer = Schutzmittel = remède <sup>5</sup> élősdí = Ungeziefer = parasite <sup>6</sup> foszlott = fadenscheinig = qui montre la corde <sup>7</sup> esőköpeny = Regenmantel = imperméable <sup>8</sup> kopott = abgetragen = usé <sup>9-10</sup> kenderhám = hanfenes Pferdegeschirr = harnachement de chanvre <sup>11</sup> litániázni = eine Litanei verrichten = chanter des vèpres <sup>12</sup> lélegzetet beszív = Atem schöpfen = aspirer l'air





## Monachus Hricsonensis. (4)

Fabula plebis descripta a Victore Rákosi. Latine reddidit :  
Ios. Guelmino Bp.

Thurzó desiderio<sup>97</sup> tenebatur<sup>97</sup> arcis Hricsó, quia et agri sui circumiacebant arci, et ex illa utrumque praediorum magnifice administrari poterit. Comitatu splendidissimo saepe transiit in arcem et die quodam in matrimonium petivit sibi viduam.

Vidua, cuius vultum rubor perfudit, tempus hebdomadis<sup>98</sup> deliberandi causā petivit a viro.

Thurzó se inclinavit et abiit in vastitudinem silvarum ursum venaturus. Vidua autem maxime sollicita erat, nesciens, quid sibi faciendum esset.

Maxime angebatur<sup>100</sup> quod natu multo maior erat, quam Thurzó. «Nonnullis annis post, — cogitabat — iam provectior ero aetate, capillis albis, et Thurzó eodem tempore adhuc semper meliores numerabit annos, et quisquis nos videbit, me matrem illius esse existimabit.»

Et tunc incessit menti hoc consilium :

«Non nubam illi, sed filium adoptabo eum.»

Et post hebdomadem, cum tubae Thurzonianae exsonuissent ante portam arcis et pons sublatus demissus esset, milesque fortis cum turma<sup>101</sup> splendida arcem introisset, vidua in atrio arcis expectavit eum. Et cum se eum adoptare dixisset filium, Thurzó more temporis illius altero<sup>102</sup> genu<sup>102</sup> innixus<sup>102</sup> manus mulieris osculatus<sup>103</sup> est. Illa autem eum complexa et suavita<sup>103</sup> est.

— «Et sic bene res se habet», cogitabat Thurzó et immigravit in arcem pulchram Hricsó. Res autem non successit<sup>104</sup> ita, atque imaginatus<sup>105</sup> est. Nam mulier non modo minime mortua est, sed ne aegrotabat quidem. Et impatientia viri in dies crevit. Aviditas habendi magis atque magis cruciabat animum eius, desiderioque tenebatur illius diei, quo dominus solus omnium honorum evadet. Et qui principio amabilis et blandus<sup>106</sup> erat erga feminam, post nec minimae curae habebat eam, et in cogitationes atroces fixus ferebatur equo per invia<sup>107</sup> silvarum, vel meabat remeabatque in oecis<sup>108</sup> fornicatis<sup>109</sup> arcis.

Mox consilium scelestum concepit animo.

Nocte aterrimā, cum unusquisque dormiebat in arce, ad se vocari iubet duos satellites, sibi fidissimos, quorum oboedientiae et animo perditio<sup>110</sup> etiam ipse maxime fidebat.

— Poterone spem in vobis ponere, — interrogavit eos — quidquid iussero?

— Usque ad mortem, domine, responderunt.

— Sequimini ergo me!

Praecessit illos. Nonnullis minutis post mulierem miseram dormientem oppresserunt<sup>111</sup> et ore obturato<sup>112</sup> in carcerem humidum<sup>113</sup> arcis iecerunt, unde ne lamentatio quidem ad aures cuiusquam pervenire potuit.

Frustra mane exspectabant eam cubiculariae<sup>114</sup> eius. «Domina vestra nocte mente<sup>115</sup> capta<sup>115</sup> est, qua de causa eam in carcere ponere coactus sum; — dixit eis Thurzó, — nemo ex hoc die vobis imperat, nisi ego.

Attoniti audiverunt eum et discesserunt. Thurzó suspiciosus tympani<sup>116</sup> sono convocavit eos omnes, famulos famulasque et ut statim iret unus quisque, quo sibi optimum esse videretur, imperavit. In arce tantum famuli proprii remanserunt.

Sic tandem arcem superbam Hricsó solus possedit. Et si mulier in carcere brevi perierit, nemo eum possessorem indubium turbabit.

Et si hostes eius feminam liberabunt?

*Continuabitur.*

<sup>97</sup> vágyakozni = sich sehnen = désirer <sup>98</sup> a hét = Woche = semaine <sup>99</sup> őserdő = Urwald = forêt vierge <sup>100</sup> aggódik = sich ängstigen = se tourmenter <sup>101</sup> lovascsapat = Reiterschar = escadron <sup>102</sup> féltérde ereszkedve = sich auf das eine Knie niederlassen = tomber sur un genou <sup>103</sup> megcsókol = küssen = donner un baiser <sup>104</sup> sikerül = gelingen = réussir <sup>105</sup> elképzel = sich vorstellen = s'imaginer <sup>106</sup> nyájas = freundlich = affable <sup>107</sup> úttalan helyek = unwegsame Orte = loin des chemins praticables <sup>108</sup> terem = Saal = salle <sup>109</sup> bolthajtásos = gewölbt = voûté <sup>110</sup> elvetemült = verrucht = dépravé <sup>111</sup> rajtaüt = überfallen = surprendre <sup>112</sup> betöm = verstopfen = boucher <sup>113</sup> nedves = feucht = humide <sup>114</sup> komorna = Kammerjungfer = femme de chambre <sup>115</sup> megőrül = wahnsinnig werden = devenir fou <sup>116</sup> dob = Trommel = tambour



Christus infans. Opus tectorium pictum a Geysa Sz. Molnár.

## Die Nativitatis Domini.

*Coelestem nosco flosculum*

*Rigatum divo rore,*

*Crescentem, o miraculum,*

*Virgineo e flore.*

*Hic flosculus est Iesulus:*

*Nive cretus,*

*Ridens, laetus,*

*Semper recens,*

*Mire decens.*

*Flosculum Iesulum*

*In cordis pone tabernaculum;*

*Tunc, homo, vives*

*Aeterne dives:*

*Beatus, hunc qui carpit flosculum!*

*Rud. Nowowiejski Vilnae.*

## Cur neque puero facile sit.

Scripsit L. Tóth. Convertit *Elisabetha Nagy dr. Bp.*

Puer sermones maiorum natu auscultans audivit vocabulum «umbella pensilis»<sup>1</sup> statimque interrogavit: «Quid est umbella pensilis?» Pater non respondit, quia post cenam aliquantulum dormire voluit et si copiosas explicationes de aëroplano et de resistente aëre inciperet, vesperum lusum interrogandi respondendique finem facturum esse non ignoravit.

Neque mater respondere voluit, quoniam se satis virium animi ad umbellam pensilem perite<sup>2</sup> et tamen perspicue<sup>3</sup> explicandam habere non putavit, itaque attentionem pueri a re periculosa avertere studuit deditque ei mālum<sup>4</sup> Persicum.<sup>4</sup> Quod<sup>5</sup> parvuli manducantis<sup>5</sup> ex capite speravit fore, ut curiositas evanesceret.<sup>6</sup> Sed puer, pleno ore, dum guttae de malo Persico stillabant, arrogans iterum interrogavit: «Quid est umbella pensilis?»

Tunc avia<sup>7</sup> ab imo pectore suspirans, secundum fabulam antiquam de ciconia, etiam de umbella pensili finxit historiam quandam obscuram, dicens: «Audi, carissime! Si angeli de caelo descendere volunt, neque alae eis sufficiunt,<sup>8</sup> Deus optimus dat iis umbellam apertam, quam tenentes tutissimi se ad terram demittunt. Puer inhians<sup>9</sup> auscultavit et avia triumphans circumspexit. Sed non potuit diu gaudere triumpho suo, quoniam puer iam quaestionem novam proposuit: «Et quid faciunt angeli, si in caelum reverti volunt? Evehitne eos umbella ad caelum?»

«Hoc iam ab avo interroga!» — recepit se avia, ne fabulam novam narrare cogere timeret, et ex cubiculo elapsa est.

Avus puerum in gremio suo posuit et vir viro quaestionem umbellae pensilis ex principiis novis explicare coepit. «Care mi filiolo! — inceptit severe — umbella pensilis non est umbella angelorum, uti avia tibi dixit. Umbella pensilis clausa similis est perae,<sup>10</sup> quam aviator<sup>11</sup> loris<sup>12</sup> ad tergum suum alligat. Tunc sive plumbo<sup>13</sup> conficitur<sup>13</sup> aëroplanus in aëre volans, sive motor eius deficit, aviator exsilit ex aëroplano et aviatore cadente pera follis<sup>14</sup> maximus aerius<sup>14</sup> fit, qui eum tutissimum ad terram defert. Intellegisne?»

— Intellego, respondit puer, iam etiam ego tentare volo, si me follis meus lusorius e conabulatione<sup>15</sup> secunda in viam deferat.

— Noli tentare — clamavit avus frontem sudore madentem tergens, — quoniam follis tuus et follis iste non sunt iidem, ego tantum comparatione usus memoravi follem, tu aselle! Tu folle tuo praecipitaberis!<sup>16</sup>

— Umbellā pensili usus aviator praecipitari non potest? — interrogavit puer.

— Sed tamen potest praecipitari; — interlocutus est frater maior, qui iam gymnasium frequentabat et discens libris suis assidebat, — etiam umbellā pensili usus potest praecipitari, nisi umbella aperitur, aut nisi aviator funiculos<sup>17</sup> recte attrahit.<sup>18</sup>

— Quales funiculos? — convertit se parvulus curiositate incensus ad novum explicatorem. Sed ille iam iterum se totum studiis dedit, avus autem interim clam aufugit. Puer solus relictus de quaestione inexploratā interrogavit ancillulam.<sup>19</sup> «Catharinula, scisne, qualis sit ista umbellā pensilis, quā aviator, nisi funiculos attrahit, praecipitatur?»

Ancillula hilaris arrisit puero et, quia ipsa vera nunquam quidquam de umbellā pensili audi-

vit, etiam parvulum fide demovere studuit: «Iam iterum destitutus es.<sup>21</sup> Quis unquam tale quid audivit! Umbella pensilis! Est pluviale,<sup>22</sup> est umbraculum,<sup>23</sup> sed nihil aliud!»

— Sed est etiam umbella pensilis! — affirmavit puer, sed suspicio se iam insinuavit<sup>24</sup> in pectus eius.

— Non est, — cachinnavit ancillula, — soli Tibi dicunt talia, qui omnia credas.

Sed puer ab sententia ancillulae provocavit ad lavatricem,<sup>25</sup> quippe quae filium militantem haberet et sic probabiliter plus quam ancillula de ea re sciret. Lavatrix, ubi de aëroplano et de umbella pensili interrogata est, se cruce signavit et exterrita etiam puerum monuit: «Eheu! Anima mea! Noli talium mentionem facere! Machina diaboli est ista machina volans. Deus maledicit illi, qui inter nubes volare vult. Vae illi, qui sodalis diaboli est. Si Deus optimus etiam hominem volitare voluisset, alas homini, sicuti avibus, dedisset. Quas quia Deus non dedit, homini in terra mandandum est!»

Est ne umbella pensilis, aut non? — supplicavit puer, iam iam lacrimans.

— Per me licet esse — respondit caute lavatrix et perrexit lavandria<sup>26</sup> lavare.

Puer autem eodem loco stans sugensque<sup>27</sup> digitum extremum intentissime meditabatur: «Quid unicuique credam? Avia est-ne mihi mentita, aut avus destituit me? Quid frater maior, de istis funiculis loquens, voluit dicere? Omnino possum-ne credere maioribus natu? Porro: cur fugiunt maiores parvulos interrogantes et cur interrumpunt maiores omnia dicentes: Quid<sup>28</sup> haec<sup>28</sup> ad te<sup>28</sup>? Scies, simulac adoleverit aetas tua! Sin nonnulla explicant, cur alii aliter idem explicant? Denique: ubi est homo, cui hae omnes quaestiones proponi possint?»

Quoniam nusquam homo talis inventus est, puer ingemuit corculumque<sup>29</sup> valde doluit murmuranti: Eheu, quam difficile est puerulo!

<sup>1</sup> ejtőernyő = Fallschirm = parachute <sup>2</sup> szakszerűen = fachgemäß = avec compétence <sup>3</sup> érthető = verständlich = d'une façon compréhensible <sup>4</sup> őszibarack = Pfirsich = pêche <sup>5</sup> míg azt majszolja = solange er daran kaut = pendant qu'il la mâchonne <sup>6</sup> kipárolog = verschwinden = évanouir <sup>7</sup> nagyanya = Großmutter = grand'mère <sup>8</sup> elegendőek = genügen = suffire <sup>9</sup> szájátva = mit aufgesperrtem Munde = la bouche bée <sup>10</sup> hátizsak = Rucksack = sac à dos <sup>11</sup> pilóta = Flieger = aviateur <sup>12</sup> szíj = Riemen = courroie <sup>13</sup> lelő = herunterschließen = abatre <sup>14</sup> léggömb = Luftballon = ballon <sup>15</sup> emelet = Stock = étage <sup>16</sup> lezuhan = herabstürzen = tomber <sup>17</sup> zsinór = Schnur = cordon <sup>18</sup> megránt = anziehen = tirer <sup>19</sup> pesztonka = Kindermädchen = bonne d'enfants <sup>20</sup> lebeszél = abwendig machen = détourner, dissuader <sup>21</sup> becsap = betrüben = tromper <sup>22</sup> esernyő = Regenschirm = parapluie <sup>23</sup> napernyő = Sonnenschirm = parasol <sup>24</sup> behatol = eindringen = s'insinuer <sup>25</sup> mosónó = Wäscherin = blanchisseuse <sup>26</sup> szennyek = Wäsche = linge <sup>27</sup> szop = saugen = sucer, tetter <sup>28</sup> mi közöd hozzá? = was geht das dich an? = est-ce que ça te regarde? <sup>29</sup> cor parvum

## Petrus Csurka: De vertrago<sup>1</sup> Russico.

Convertit *Soror Anna Bencze I. B. M. V. prof. thygatogymn. Aegopolitanae. (Kecskemét.)*

Gregorius Turi quinque habebat parvos liberos. Per fenestram casae eius in margine viae sitae sibilavit ventus nativitatis<sup>2</sup> Domini.<sup>2</sup> Homines

<sup>1</sup> agár = Windhund = lévrière <sup>2</sup> karácsonyi = Weihnachts = de Noël

praetereuntes narraverunt mox hic, mox illic nonnullos frigore<sup>3</sup> confectos<sup>3</sup> esse. Primā luce Gregorius domum reversus est, ingentem arborem post tergum in aream trahens. Uxor eius, mater quinque liberorum nimis<sup>4</sup> laboriosa,<sup>4</sup> ante ianuam stabat, coniugemque in arbore laborantem spectabat. «Unde hanc arborem habes?» interrogavit. Nil responsum est. Casam intraverunt. Liberi adhuc dormiebant in acervo<sup>5</sup> panniculorum.<sup>5</sup> Gelu mille flores glaciales in vitreis<sup>6</sup> quadraturis<sup>6</sup> fenestrae<sup>6</sup> picti erant.

— «Pervigilium<sup>7</sup> nativitatis Domini!» inquit mulier submissā voce, nam liberis rem comperire non licuit. Iam abhinc plures menses nec ullus crucifer<sup>8</sup> domi inveniri potuit, liberi pedibus nudis cursitant, quorum ora coloris<sup>9</sup> mucidi<sup>9</sup> luridaque<sup>9</sup> sunt. Calceis, peronibus,<sup>10</sup> vestimentisque multo magis opus est, quam arbore nativitatis et donis sollempnibus. . . Sed sumptus ad nihil suppeditat.<sup>11</sup> Quam ob rem mater nil de Iesu Nasareno dixit, quamquam cor ei dolebat, neque narravit, quomodo ex urbe Ecbatanis tres magi quondam profecti essent. . . tres magi, quibus stella nocte viam demonstraret.

Gregorius exiit casā, securem arripit, ramisque<sup>12</sup> arboris amputandis<sup>12</sup> incumbit. Deinde ligna in culinam portavit. Uxor focum calefecit. «Res furtiva» — agitat illa secum favillam intuens, — «certe de via publica. . .»

Tunc Gregorius intravit. «Cēdo<sup>13</sup> mihi thoracem<sup>14</sup> laneum<sup>14</sup> manicatum<sup>14</sup> — inquit — in oppido ibo». Quem uxor, quasi quid interrogatura, contemplata est. «Horologium meum in oppido vendere mihi propositum est.» Femina iuvit eum, ut thoracem laneum indueret.

— Doleo horologium — dixit Gregorius voce querulā — hoc bonum vetusque horologium, quippe quod Galiciae quoque mecum interfuerit.

Ipse itineri se commisit. Capite contracto per frigus inhumanam media via publica procedebat. Iuxta eum cantabant antennae<sup>15</sup> telegraphii.

Interim femina serra<sup>16</sup> dissecuit<sup>16</sup> ligna, minuit et intro portavit. Risu clandestino resplendent oculi eius. «Attendite parvuli — inquit — hodie veniet Christus Infans, nunc vobis aliquid narrare velim. . . Quondam tres magi iter nocte profecti sunt stellā magnā et splendidā iter demonstrante.» Circiter idem tempus iam Gregorius de via publica declinavit atque per transversum<sup>17</sup> ad urbem Makō versus ivit.

In foro Makonensi horologium suum venale proposuit, cuius propriam naturam excellentesque qualitates laudavit: «Horologium nonnisi octavo quoquo die intendendum<sup>18</sup> est, quin etiam si ex manibus demittitur, si plaustrum supra inigitur, hoc leve et horologio idem est; non celerius, neque tardius movetur, horologium revera mirabile est».

Nemo tamen hominum horologium mirabile possidere voluit. Plurimi leniter surridebant, minime eum animadvertentes, quamquam Gregorius tantum decem pengones postulavit. Meridie iam pridem dilapso, horologium nondum venditum erat. Gemmarius,<sup>19</sup> cui itidem obtulit, se ipsum quoque satis horologiorum habere vendendorum, etiam si necesse esset iusto minoris pretii affirmavit.

Gregorius titubans egressus est tabernā. Pugno compresso tenebat horologium, quae tic, tac,

<sup>3</sup> megfagy = erfrieren = mourir gelé <sup>4</sup> agyondolgozott = abgenützt = exténué de travail <sup>5</sup> rongyhalmaz = Lumpenhaufe = tas de chiffons <sup>6</sup> ablaktábla = Fensterscheibe = vitre <sup>7</sup> vesper <sup>8</sup> krajcár = Kreuzer = sou <sup>9</sup> penészvirágos, fakó = schimmeligfahl = livide et comme moisi <sup>10</sup> csizma = Stiefel = botte <sup>11</sup> satís est <sup>12</sup> ágakat lenyes = abâsten = élaguer <sup>13</sup> add ide = gib her = donne ici <sup>14</sup> ujjas mellény = Ärmelwams = camisole <sup>15</sup> pózna = Stange = poteau <sup>16</sup> szétfűrész = zersägen = scier en morceaux <sup>17</sup> toronyirányában = querfeldein = à travers champs <sup>18</sup> felhúz = aufziehen = tirer <sup>19</sup> ékszerész = Juwelier = bijoutier



Forum principale urbis Olisipponis (Lissabon — Lisbonne) capitis Lusitaniae ante 800 annos conditae (pag. 30).

tic tac dictitabat; etiam ipsi Gregorio in gutture tic tac sonabat. Graviter se exacerbatum sensit. «Domine mi Christe ubi es? — secum<sup>20</sup> volebat<sup>20</sup> — domi liberos habeo, quibus cibi a matre promissi iam certissime salivam<sup>21</sup> moverunt,<sup>21</sup> mihi autem nunc vacuis manibus redeundum est. Optimum est omnino haud domum redire. Quid talis pulvisculus, qui homo nominatur, in mundo agat? Nihil.»

Vir quidam per tenebras via publica antecedebat. Quem Gregorius salvare iussit.

— Quo tendis iter? interrogat alter.

— In pagum Királyhegyes.

— Tunc parumper iter unā pergere poterimus, ego equidem ultra Kővegy vadere debeo. In tenebris Gregorius tamen cernere potuit, peregrinum virum staturā grandem esse, sub levi amiculo eius humeros validissimos tumidos, oculosque occasione datā aequae fulgurantes, ac lupinos. Diu inter se taciti unā ibant, tantum nix dure congelata stridebat sub peronibus.

— Advesperavit... in urbe Makone fuisti?

— Sane.

— Quid negotii ibi habuisti?

Est quidem, quod narretur. Miseria est mea immensa... dies festi adsunt... quinque liberi parvuli... quibus dona saltem modica domum portantes eram, quod haud bene successit...

Gementes progrediebantur, silentio minime amoeno. Mox Gregorius se res suas alicui confidendas esse sensit. «Scisne me horologium nichelium<sup>22</sup> subtile, bonum, vetus habere? Idem vendere volui, ut parvulis aliquid compararem. Hucusque semper apparuit Iesus, quamquam donis angustis, tamen advenit. Nonnullos per annos liberis nihil aliud gaudio fuit, nisi Iesus. Nunc autem hoc fieri non potest. Sine ullo asse domum revertor.»

Homo grandis neque sibi aliter contingere affirmavit. Via strata ad Kővegy versus divertit.<sup>23</sup> Vir constitit. «In hanc regionem flecto iter.»

— Ego equidem in illam — respondit Gregorius.

— Scire velim quanti mihi horologium vendas?

Ore<sup>24</sup> residentī<sup>24</sup> interrogavit Gregorius:

— Forsitan emere a me velis?

— Prius aspicere volo.

Gregorius vestem<sup>25</sup> globulis<sup>25</sup> astrictam<sup>25</sup> solvit,<sup>25</sup> dempsit horologium de loro sordido, ex quo pependerit: «Ecce, intuere, lignum<sup>26</sup> flammiferum<sup>26</sup> accendere volo. Tibi vendo hoc horologium octo pengonibus.»

Quibus dictis tempora<sup>26</sup> eius validissimo ictu affliguntur. Gregorius labefactatus in longitudinem humi prosternitur. *Finis sequetur.*

<sup>20</sup> töpreng = grübeln = se demander <sup>21</sup> foga fáj vmire = der Mund wässert nach etwas = faire venir l'eau à la bouche <sup>22</sup> nikkel = Nickel = de nickel <sup>23</sup> elágazik = abzweigen = bifurquer <sup>24</sup> örömtől sugárzó arccal = vor Freude strahlend = le visage rayonnant de joie <sup>25</sup> kigombolkozik = sich aufknöpfen = se déboutonner <sup>26</sup> gyufa = Streichholz = allumette <sup>27</sup> halánték = Schläfe = tempe

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Commercium epistolare.

Andreas Avenarius alumnus domus S. Emerici Ginsianae S. D.

Ne forte credatis neminem legisse epistolam, quam ad lectores «Juventutis» dederatis per fasciculum mensis Maii labentis anni, paucis respondeo: cum gaudio nos cognovisse studium vestrum et erga linguam Latinam animum neque minus gavisos esse legentes inter lineas, quid de missionario vestro proposito cogitaretis.

Utrumque studium, linguae Latinae et rei missionariae, vobis gratulamur idemque perpetuum esse cupimus et in dies ardentius. Poteram longiore epistolā explicare, quid lectis litteris vestris et conspectis duabus illis imaginibus<sup>1</sup> lucigeniis<sup>1</sup> sensissem. Sed quoniam moderator «Juventutis» non semel se cupidum dixit brevitatē, unum statui vestri adhortandi causā proponere. Nonne ipsi iam estis experti viam provinciae Latinae non levem semper facilemque esse, sed nonnunquam impedimentis asperam? Et si credimus illis, qui de suo missionario opere scripserunt — et ipse popularis vester, P. Ternay, idem fatebitur — etiam illud opus suas neque contemendas habet difficultates. Nunc sic censeo: vos, si animo magno et invicto his pueritiae et primae adolescentiae annis «ingenti gradu» iter istud Latinum continuaveritis, etiam strenuos missionarios futuros esse consuetos difficultatibus non vinci sed «contra audentius ire». Tales vos a Deo optamus. Valet. E Collegio Romano S. V. D., festo Christi Regis die anni 1940.

<sup>1</sup> vulgo = photographiis

## Diploma honorarium.

Nos Societas Röntgenologica Medicorum Hungaricorum

expertissimum, ornatissimum et doctissimum

Dominum<sup>1</sup>

pro meritis excellentibus de investigatione Röntgenologiae scientifica et successuum practicum plena observantiam reverentiamque nostram significandi causa

«membrum honoris causa»

elegimus pronuntiavimus et declaravimus. In quorum fidem hoc diploma sigillo Societatis nostrae munitum et consuetis subscriptionibus roboratum Ei dari curavimus.

Datum ex conventu generali nostro


Budapestini die 26-a mensis Octobris, anno Domini 1939.

<sup>1</sup> Josephum Belot, Andream Dariaux (Parisiis), Göstam Forssall (Holmiae), Carolum Frik (Berolini), Rudolfum Grashey (Coloniae Agrippinae), Fedorum Haenisch, Arminium Holthusen (Hamburgi), Carolum Meyer (Posnaniae), Joannem Josephum Palmieri (Bononiae), Bronislaum Sabat (Varsoviae), Joannem R. Schinz (Turici).

## Bellona furens.

Scriptis Val. Fehér O. S. Ben. (Pápa.)

- O Deus omnipotens, celsā cui sedes in arce est,  
Irroros<sup>1</sup> oculis flumina salsa meis.  
Maximus alta dolor prohibet praecordia rebus  
Diris condignos fundere ab ore modos.<sup>2</sup>*
5. *Ominibus terrā caeloque atrocibus ictus  
Balbutio, tactu frigoris ossa tremunt.  
Quis furor est? quae bilis edax immania gignens  
Fulgida magnanimos traxit ad arma viros?  
Praeda feras acies et habendi impura cupido*
10. *Succinxit gladiis Marte favente datis.  
Cedant arma novis perfusa rubore vetusta:  
Quid nisi ad ingentem talea<sup>3</sup> parva trabem?  
Non satis adversas terrā concurrere turmas  
Foedaque multā vi vulnera ferre pari.*



Sollemnia verna cerasorum florentium in Japonia. (Pag. 30.)

15. *Miles ad aetherias audet volitare cavernas,  
Monstrans, quid supra nubila possit homo.  
Non animi causā nimbose pericula tentat,  
Invia<sup>4</sup> sed dure vastet ut inde loca.  
Terribili sonitu volat ales falsa per auras,*
20. *Mille nocendi artes, fulmina dira ferens,  
Desuper horribillos certo missura fragores,  
Lurida<sup>5</sup> qui crepitu damna tonante parit.  
Saepe tamen latitant ibi mille pericula mortis,  
Nec via naufragio pernicioosa caret.*
25. *Hostis non patiens alios super alta vagari  
Tecta, statim iuvenum vulgus ad arma ciet.  
Mille cito volucres nituntur in aëra pennis,  
Horribila miscet aethera voce cavum.  
Pinnarum crepitu rauco strepituque rotarum*
30. *Torpescunt aures, ossa tremore pavent.  
Candida per sudum<sup>6</sup> nictantur<sup>7</sup> fulgura caelum,  
Nubila sublimi<sup>8</sup> non faciente lacu.<sup>8</sup>  
Aëriae volucres odio luctantur acerbo  
Proeliaque inter se fortiter igne gerunt.*
35. *Ferrea tormentis iaculantur tela per orbes,  
Quae sulcant nilidas igne revulsa<sup>9</sup> vias.  
Horribili fatum recidit stridore coruscum  
Desuper, interitum foedaque damna ferens.*

- Aerea fax<sup>10</sup> grandes cavat in tellure lacunas,  
40. Membraque vis spargit dilacerata crepax.<sup>11</sup>  
Aëris interea truciter pugnatur in oris,  
Fulmina cum diro clara fragore tonant.  
Mente bonā capti mortales esse videntur,  
Nec ferro vitas exhaurire timent.*
45. *Iam labefacta fides et humi prostrata recessit  
Nobilitas animi, frigore torpet amor.  
Cur opus est bello? veniat pax gentibus alma;  
Pacē virent segetes, pax alimenta dabit.  
Parce, Pater, populis multum peccantibus ultro:*
50. *Stultitiā crebro res scelerata venit.*

<sup>1</sup> áztat = befeuchten = mouiller <sup>2</sup> carmina <sup>3</sup> karó = Pfahl = pieu <sup>4</sup> hozzáférhetetlen = unzugänglich = inaccessible <sup>5</sup> elképesztő = leichenblaß machend = qui fait blêmir <sup>6</sup> derült = heiter = clair <sup>7</sup> cikázik = zucken = silloner <sup>8</sup> aqua aëria <sup>9</sup> postquam dispoſerunt <sup>10</sup> bomba = Bombe = bombe <sup>11</sup> displodens

## „Sine querela.“ (I. L. Vivès 1492–1540.)

I. L. Vivès anno ipso Americae repertae in civitate Valenciae Hispaniensis natus, studiisque ad Universitatem Parisianam absolutis, Brugetii, oppido tunc Bataviensi, sedem collocavit. Inde cathedram Universitatis Luveniensi adeptus Londinium denique vocatus est, ubi praeceptor Mariae, filiae reginae Catharinae regisque Henrici VIII-i Anglorum, creatus est. Postea denuo Brigetii vitam degebat, curis sollicitudinibusque paene occumbens, sollertissime tamen studiis humanitatis operam navans. Morbo articulari nondum quinquagenarius confectus ante diem vitā decessit.

I. L. Vivès ab eximiis humanistis, Erasmo, Moro, Budaeo, qui tunc temporis vivebant, sincere amabatur ac laudabatur. Ipse vicissim pro magna sua pietate fidissimae gratitudinis plenus erat eisdem. Primum eius opus magni momenti, quod De institutione feminae Christianae inscribitur, ad Mariam filiam regis educandam est exaratum, at aptissime inservit rationi educationis omnium feminarum, qua sublata secundum Aristotelem res publica fundamento maxime necessario

vacaret. Opusculum eius *Introductio ad Sapientiam*, quod undequadrages editum est, ut «libellus aureus» gratiosissimus apud populum factus est. Litterae libellique eius publici sancta quadam desperatione admonuerunt Occidentem periculorum, quae ex dissidio Christianorum Turcarumque invasione oriuntur. Eodem tempore opusculo *De subventionem Pauperum* methodos sociales fere modernas a senatu Brugetiensi adhiberi iubebat. Mox summum eius opus *De tradendis disciplinis* confectum est, quod quidem revera primum ei locum in *Historia Educationis* acquisivit. Praeter alia diversi generis opera, cum iam morbo graviter impediatur, opus insigne adhuc protulit, quo *De veritate fidei Christianae* lucidissime disserens omnes suos aequales cepit.

Nos autem eum, summam historiae complurium saeculorum conspectam, inter nobilissima ingenia humana adnumeremus necesse est. Rectissime est notatum permulta principia ab eo haud obscure iam declarata esse, quae nonnisi centum post annis a Bacone Verulamensi quasi divulgarentur.

Anima eius pia ac delicata sentit ac profitetur praestantiam cultus atque humanitatis, officium mitigandi leniendique paupertatem, potestatemque caritatis atque amoris omnia superantem. Humilitas fidesque eius omnes eum vitae necessitudines subire iubet. Ecce dictum eius: «Sine querela!» Omnem sapientiam stultitiam insaniamque esse, cum eum, qui primus cognoscendus sit, ignoremus — dicit in sua *Ad septem Psalmos Poenitentiae* exegesi. Quam quidem intimam pietatem nostris temporibus maxime desiderari quis est, quin sciat?

Julius Kováts dr. Bp.



Pittacia pro Transsilvania edita. 10 + 50: Miles Hungaricus Transsilvaniam liberaturus, a regulo Csaba ductus. 20 + 50: Patrona Hungariae et Siculus post tot iniurias tandem liberatus. 32 + 50: Mater Sicula parvum filium offert Patriae.

## Librorum recensio.

Dr. Huszti József: *Latin Chrestomathia*. Budapest, 1940. Szent István-Társulat. P 357. Pretium 3.80 P

«Hoc erat in votis» nobis linguae Latinae magistris: liber vehementer efflagitatus, quo inde ab antiquis temporibus per medium aevum et recentiora tempora usque ad aetatem nostram potiora litterarum Latinarum praeter ea, quae in scholis leguntur, specimina cum imprimis discipulis, tum etiam aliis lectoribus exhibeatur, ut ubertate litterarum Latinarum prope infinita atque multiplici varietate capti ac deleniti adament videantque litteras Latinas post imperii

Romani occasum non esse omnino extinctas, sed ex stirpe in novos fetus revivuisse atque tamquam arborem feracem et succulentam posterioribus quoque temporibus fructus tulisse laetissimos. Tandem voti compotes facti et adepti sumus iam dudum exoptatum librum, quem Iosephus Huszti, professor Universitatis Pázmányanae, quondam moderator huius ephemeridis, confecerat et nuper foras dederat. Cuius libri exsuperantiam nemo intelligens harum rerum et peritus existimator infitiabitur. Etenim varietate locupletissima specimen summa intelligentia, subtili iudicio atque ita electorum, ut quilibet scriptor et poeta quolibetque saeculum cum suae sibi indoli proprio et eminenti opusculo proponeretur, libros huius generis magno post se intervallo reliquit. Id quoque recte factum iudico, quod quaedam partes ex Caesare, Nepote et Sallustio, qui ex scholis nostris nescio qua de causa tam inconsulte exterminati erant, delibatae sunt. Nos autem magistri certe non praetermittimus unam alteramve partem subsecivis horis cum discipulis tractare eo magis, quod interpretationum magnum numerum lectionem facilem effecturum certum est. Expositiones unicuique parti praemissae brevitate concisa excellunt. Liber iste etiam exteris magnopere commendandus est, ex his enim vero specimenibus eos nostratium quoque Latinarum litterarum praestantiae quendam gustatum habituros verisimile est.


Alb. Czeh SVD., De representatione graphica propositionis Latinae. Typographia Missionis Catholicae Jenchowfu. Shantung 1939. — Nolui lectores ignorare hunc libellum cum in manus sumpsissem, qua essem admiratione imbutus linguam Latinam etiam in remotissimo Oriente, Sinam dico, doceri atque adeo Latine doceri. In Seminario enim Missionum Sinensium sacerdotes futuri scriptores Latinos Christianos latine legunt. Cur hic libellus scriptus esset, ipse libelli auctor his verbis exposuit: «Cum discipulos elementis scientiae Latinae imbuere niterer, iam inde a primis lectionibus maximam aliquam difficultatem expertus sum, discipulos fere non sentire, quomodo membra propositionis Latinae inter se cohaerent, quomodo haec ab illis dependerent». Deinde sic porro perguit: «... remedium quaerenti subito in mentem venit eodem modo, quo in nova grammatica Sinica, etiam in grammatica Latina unumquodque membrum propositionis signo quodam notare, ut ex signo jam appareret, quodnam membrum esset et quam relationem cum aliis haberet». Quorum signorum quaedam, ut oculis cernerentur appinxi: ○: Subiectum circulo signatur. Praedicatum tribus signis notatur ut: ←— sagittā, cuius aculeus contra circulum Subiecti directus est, Verba Intransitiva designantur. ←—: sagittā hac motus Verbi Transitivi significatur e. g. Petrus amat. ○ ←—

←—|: sagittā hac Verbum Passivum describitur e. g.

Petrus amatur. Huiuscemodi signis notantur: ○ ←—|

praepositiones, coniunctiones, diversa propositionis genera etc; quorum signorum numerus mea quidem sententia nimis exaggeratus est. Non negaverim talibus signis cohaerentiam membrorum propositionis, propositionumque inter se connexionem facilius percipi posse, magna tamen multitudine signorum verendum est, ne in mentibus discipulorum quaedam confusio ac perturbatio creetur.

Car, Acs Bp.



**Solutiones aenigmatum numeri II.**

1. Bos, ora, sal. — 2. Mus, una, sal. — 3. Erat, rogo, agat, tota. — 4. Casa, ater, sero, Aron. — 5. Caria, amans, rapis, inibi, assis. — 6. Fortuna audaces iuvat timidusque repellit. — 7. Fide, sed cui vide. — 8. *Ad libram*: 1. Orcus. 4. Ianus. 5. Moror. *Ad perpendicularum*: 1. Odium. 2. Conor. 3. Siser. — 9. Os, Iris, Osiris.

**Aenigmata recte dissolverunt:** In Hungaria: 302 (ex quibus 185 Budapestinenses), in Helvetia: 4 discipuli.

**Praemium sorte obvenit:** Mariae Zách et Ludovicæ Faust (*Szilágyianum*), fratribus Sebestyén (*Werböczyanum*), Mariae Göntér (*Angelanum*), fratribus Székely (*gymn. Archiep.*), Irenæ Bagossy (*Baár-Madasiannum*), Stephano Grosz (*Scholæ Piae*), Evæ Kerényi (*Veresianum*), Georgio Gonda (*Bólyayanum*), Thomæ Szilárd (*Berzsenyanum*), Thomæ Prohászka (*Madáchianum*), Andreae Borbás (*gymn. Luth.*), Thomæ Áldor (*gymn. IPEA*), Clarae Fraknóy (*Sophianum*), Veronicæ Várady (*Margaretheum*), Helenæ Ollé (*Philippineum*) *Budapestinensibus*; Iosepho Kráhl *Bajano*, Stephano Huszár *Csurgonensi*, Dionysio Szentgyörgyi *Agriensi*, fratribus Medve *Gyöngyösiensibus*, Colomanno Osgyáni *Colocensi*, Ludovico Hársing *Kisújszállásiensi*, Helenæ Porer (*Gyurátzianum*) et Michaeli Németh (*Francisco-Iosephinum*) *Gin-siensiensibus*, Tiburtio Gátszegi *Mohácsiensi*, Iosepho Bósze *Nyergesújfalvino*, Ladislao Harsányi *Papano*, Iosepho Varga, *Quinqueecclesiensi*, Camillæ Kiss *Scarabantinae*, Andreae Hetényi *Sümegeiensi*, Mariae Dévai *Ungváriensi*, Stephano Nacsády *Vesprímiensi*. — In Helvetia: Nicolao Merckling *Lucanensi*.

**1. Quadratum magicum.**

1.	2.	3.	4.	A A D I	1. Flos pulcher.
2.				I L M M	2. Aliquando. [sto.]
3.				O O O O	3. Quod si feci, non
4.				R R S S	4. Contrarium odii.

Maria Bóhm disc. Zalaegerszegiensis.

**2. Idem.**

1.	2.	3.	4.	5.	A A E E E
2.					E I I I I
3.					I O O D D
4.					N N S S S
5.					S S V V X

1. Homines grandævi.
2. Abeo, excedo.
3. Vehiculum aquatile.
1. Pro «imperavi» dici potest.
4. Editores operum Horatii.

Fridericus Kreiner disc. Magna-Canissanus.

**3. Angulus magicus.**

1.	2.	3.	4.	5.	A A I I I
2.					U U L N
3.					N S S
4.					S S
5.					V

1. Deus bifrons.
2. Bestia volucris.
3. Nihil.
4. Suffixum substantivorum.
5. Consonans.

Aurelius Bakó iun. disc. Gyöngyösiensis.

**4. Pyramis.**

1	Consonans.
2 1	Pronomen determinativum.
3 2 1	Coniunctivus verbi «esse».
I 3 2 1	Dea Aegyptia.
5 4 3 2 1	Participium verbi «videre».

Dionysius Szentgyörgyi disc. Agriensis.

**5. Ad saltum equulei.**

ter	s.	ve	ve	pus
da	hit	in	us	hit
e	o	o	lu	vos
un	un	ful	ti	le
ves,	gr	da	nes,	Mat

Versus Ovidii.

Stephanus Hatvani disc. Gyöngyösiensis

**6. Ab ove usque ad agnam.**

O	V	I	S
A	G	N	A

In voce «ovis» unam ex litteris ita muta, ut nova vox appareat. Tum fac idem in secunda, tertia, quarta, quinta, sexta voce, dum agna ex ove evadet.

Ernestus Réti disc. Dombováriensis.

**7. Sutor deceptus.**

Agricola sutorem perones facere iussit. Quibus perfectis agricola, ut pretium, 16 pengones solveret, chartam<sup>1</sup> nummariam<sup>1</sup> 20 pengonum dedit sutori. Hic, cum reddere non potuisset, fabrum ferrarium vicinum adiit, qui chartam nummariam

permutavit.<sup>2</sup> Tum sutor perones et 4 pengones tradidit emptori. Paulo post rettulit faber ferra ius chartam et dicit: «Chartam nummariam adulterinam mihi dedisti. Da igitur aliam bonam!» Sutor desperatus dedit ei 20 pengones. Quot pengones sutor amisit?

*Gisela Varga* disc. Makonensis.

<sup>1</sup> bankjegy = Banknote = billet de banque \* felvált = wechseln = faire de la monnaie

### 8. Ex syllabis.

a-do-e-la-la-le-me-mo-pus-qui-quus-ru-sal-stus-te-ut.

Hae 17 syllabae ita ad voces componantur, ut ex primis litteris 7 animalium nomen octavi animalis accipias.

1. avis (3 syllabae), 2. quadrupes (2 syll.), 3. piscis (2 syll.), 4. reptile (3 syll.), 5. et 6. quadrupes (2—2 syll.), 7. avis (3 syll.).

*Ladislauus Harsányi* disc. Papanus.

### 9. Ex sententiis.

- . . . . est incertius vulgo.
- . . . . . amicos, veritas odium parit.
- . . . . emissum volat irrevocabile verbum.
- . . . . . pax homines, trux decet ira feras.
- . . . . . humanum est.
- . . . . . malis, sed contra audentior ito.
- . . . . . his tribuenda fides, qui multa loquuntur.
- . . . . . brevis est
- . . . . . saepe scintilla magnum excitat incendium.
- . . . . . virtus praestat gaudium perpetuum, securum.
- . . . . . magister optimus.
- . . . . . curat, natura sanat.

Si has sententias explēs, dictum celeberrimum accipias. *Alfredus Zeier* disc. Lucanensis (Helvetia).

### 10. Logogriphus.

*Adiectivum* sum nomen? Sic dicitur ille, qui non est rectus, sed cui flexus inest. Sum *substantivum*? Sub fluminis aut maris undis fraude malā minitor piscibus interitum.

*Fr. Palata* Trebicensis (Moravia).

### 11. Aenigma figurativum.




Qui hunc iuvenem nudum sibi animo effingit, cognoscit statuam sculptoris antiqui, amicis ludorum gymnicorum notam. Quis est sculptor? Quid est nomen statuæ?

*J. W.*

<sup>2</sup> Nota. Lectoribus minimis: 1—4, mediis 5—8, maioribus 9—11. — Pro se quisque aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistolae ad moderatorem *J. Wagner*, (*Budapest, XI., Lágymányosi utca 30*) mittant.

Terminus solutionum: Calendae Februariæ.



Hoc mense *L. Harsányi 21, Ph. Merán 11, G. Illés 9, E. Pallagi et D. Szentgyörgyi 6—6, J. Keresztény, L. Almássy, St. Ipkovich, G. Reinitz 4—4, I. Varga, Z. Biró, E. Réti 3—3, D. Bauer, A. Alexis, L. Kiss, A. Székely, H. Lenkei 2—2, Au. Bakó, S. Lazetzky, M. Böhm, br. G. Orczy 1—1* aenigmata ad me miserunt. Ex quibus 92 aenigmatibus 29 sunt quadrata magica, 21 ad saltum equulei. Tot discipulis singultim respondere non possum. Iterum moneo omnes, ne quadrata magica et aenigmata ad saltum equulei componant, quorum iam magna multitudo in mensa mea scriptoria iacet edenda, sed alia genera aenigmatum colant. Qui se studiis aenigmatum tradere volunt, legant annum XXII «Juventutis» (1937—1938). In hisce fasciculis socius noster illustrissimus, *Otto Schmied*, de re aenigmatica copiose dicens 60 genera aenigmatum tractavit innumerabilibus pulchris aenigmatibus adiunctis. Ego equidem simplices quaestiones examinatorias, quales *H. Lenkei* misit, aenigmata, quorum solutiones non accepi (e. c. ab *S. Lazetzky*), aut quae sunt male composita aut tam turpiter scripta, ut legi non possint, non possum edere. — *A. Halász*. Sunt haud pauci, quibus eodem anno scholastico bis praemium obvenerit. Nam quo quis saepius aenigmata solvit, eo tutius «fortes fortuna adiuvat.» — *Aug. Tóth*. Solutionem aenigmatum, quod solvere nescis, in fasciculo m. Ian. intelleges. — Variis opusculis moderatorem cumulerunt *St. Réz, I. Hartmann, P. Csekun, C. Ács, G. Varga, Cl. Király, Al. Weber, El. Nagy, A. Bencze, I. Kováts, M. Dischka, E. Bányai, M. Blandl, El. Obrinczák, H. Gölönczér, S. Svarczenberg, E. Istvánffy, H. Tóthszöllösy, A. Scheidl, E. Andorka, E. Pallagi, H. Rác, Al. Pócs, J. Szendrei, G. Orczy, I. Guelmino, L. Csaba*. Dolendum est, quod, cum opuscula tanta diligentia scribantur, hae rationes belli impediunt, quominus moderator tot manuscripta publici iuris faciat, quot velit. Discipuli tamen monentur, ne in scribendo regularum grammaticarum obliviscantur, neve utique versus componere conentur. Sic quaedam discipula poetam Petőfi latine interpretari vult, quamquam ipsa fatetur: «latine bene nondum nescio» (recte: «nondum scio»); quare discipuli permittant metra adultis, nam ne professorum quidem multi audent latinis metris uti. — *L. Iavorik*. Tu iam adeo ad altiora tendis, ut opuscula tua superent facultates lectorum nostrorum. Ceterum — ut collegae mei physici dicunt — tales machinas construere eisque uti lege vetatur. — Sunt, qui moderatorem et administratorem *reverendissimum* appellent, quamquam non sumus sacerdotes. Recte: «ornatissime, clarissime, spectatissime,» etc. dicendum est (vide: *Wagner I.: A modern fogalmak magyar-latin szótára. 1937. Pag. 100*). — Sunt, qui involucro epistolae pittacium minoris pretii, quam necesse est, agglutinent, quare moderator pretio duplici multatur. Omnes igitur orantur, ut maiorem curam in pittacii eligendis adhibeant. — *Valentino Barna* collegae Ungváriensi et 34 discipulis, qui nuper se «Juventuti» adiunxerunt, salutem plurimam dicimus.

Omnibus fautoribus, amicis, sociis, lectoribus «Juventutis» quam felicissimos dies festos Nativitatis Domini precantur Moderator et Administrator

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: *Fr. Kohl jun.*